

D. D.
SPECIMEN ACADEMICUM,
DE
SUPERSTITIONE
VETERUM FENNORUM
THEORETICA
ET
PRACTICA

Cujus
PARTEM POSTERIOREM,
CONSENSU AMPLISS. SENAT. PHILOS. IN RE-
GIO FENNORUM LYCEO,
PRÆSIDE
MAG. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

ELOQUENTIÆ PROFESS. REG. ET ORD.

PRO GRADU

Examini publico offert

AUCTOR

CHRISTIANUS ERICI LENCQVIST,

Satacundensis,

Tempore ante meridiem consveto diei 17 Junii
Anni MDCCLXXXII.

ABO Æ,

Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELL.

VIRO

Maxime Reverendo atque Celeberrimo,

D: NO ERICO
LENCQVIST,

S. S. THEOLOGICÆ DOCTORI MERITISSIMO,
ECCLESJARUM ORIHVESIENSIVM PRÆPOSITO
ET PASTORI ACCURATISSIMO,
SOCIETATIS PRO FIDE ET CHRISTIANISMO MEMBRO,
PARENTI INDULGENTISSIMO.

En TIBI *Dissertationem*, INDULGENTISSIME PARENS, *ingenii mei primitias*, quas jure meritoque *Carissimo* nomini Tuo *inscripsi*. Jure, inquam, ut PATRI, merito ut Præceptori; cui non tantum vivere, verum etiam bene vivere, secundum Deum, acceptum fero. Unum hoc peto, ut animum meum referendi officii cupidum, non facultate sed propensa voluntate metiaris, quæ in ratione meâ erga Te observantiæ, summam facit. Nunquam enim continget, quod vel ad aras spondeo, ut non amem & pietate complectar vitæ auctorem & juventæ meæ formatorem indefessum; sol ille prius splendorem omittet, quam ego venerationem & cultum Tui deponam. Vale igitur, mearum grande decus columenque rerum! Deus Te, Indulgentissime Parens, nobis & rebus nostris diutissime incolumen servet! Hac Te pietate, ad urnam usque prosequar,

PARENTIS INDULGENTISSIMI

Filius obedientissimus
CHRIST. LENCQVIST.

SECTIO POSTERIOR

De

*Superstitione Veterum Fennorum
Practica.*

§. XIII.

Lustrata sic qualitercunque superstitione nostratium in Ethnicismo Theoretica, jam ad vim considerandam, quam in praxin habuit, nosmet conferre, ratio instituti jubet.

Verbo monuimus §. II, *superstitionem practicam* nasci ex Theoretica, & consistere in ejusmodi actionibus, quibus honorem quendam & cultum Diis suis & Dæmonibus præstabant veteres, quo varios sibi præstitutos fines opera eorum attingere potis essent, vel ad suum suorumque commodum, vel damnum aliorum, quibus male volebant, tendentes.

Duo ergo superstitione practica spectabat, cultum videlicet & officia Diis Dæmonibusve præstanda, & fructus inde speratos, sive quos illorum opera sese percepturos vani homines expectabant. Quæ momenta jam curatius erunt consideranda.

§. XIV.

Ad cultum Deorum, quod attinet, constitit ille in *Laudibus*, quas Diis suis decantabant, ac in *Precatiunculis* ad eos fuis. Nescio quem rectorem, (*Saldia*), intelligat is, qui in carmine quodam vetusto sic canit:

H

Sumas

Jumalani Jufferoinen,	Mi Deus jucunde,
Haldiani Ketteroinen,	Mi rector robuste,
Kanna Mi sta kaisen päiwän,	Porta virum tota die,
Heitä illalla rikolle. h. e.	Projice vespere in stramenta,
	(sc. ad quietem).

Blanditiis porro ad ipsos usi sunt. Quorum omnium rerum, supra quædam exempla adduximus.

Gestibus præterea *submissis* eos venerabantur: in genua procidentes, locis iis sacris, aut ubicunque eos adoraturi, caput denudantes, corpus incurvantes, ac humi se prosternentes. Saltem his ritibus adhuc, quæ sancta habent superstitioni, venerantur.

Sacrificiis tandem variis & *oblationibus* eos honorabant. Cujus rei vestigia adhuc in variis quorundam superstitionum ritibus supersunt: ut in illo quem significavimus more acus &c. in fontes sacros injiciendi; in primitiis lactis, quo die primum pecora in sylvas pastum emissa fuerunt, ad sacras arbores effundendis, quas frugum quoque primitiis offerendis colunt; in agno quem festo S. Olai, ac quidam etiam festo S. Michaëlis mactant, & religiose comedunt; in votis denique, quorum vestigia, carmina quoque vetusta exhibent. Sic in fine carminis, quod urfi venator canit, expeditionem suam contra hostem hunc acerrimum suscepturus, *Tapioni* aut nescio cui deo; si faverit sibi, gallum gallinaceum sese oblatum promittit, ac epularum, (ut videtur) solennitatem, dicens: *Rucko sinulle, Rucko kaiselle kylälle, h. e. gallus tibi, gallus toti pago!* Forte ex hujusmodi more etiam ortum habet, quod in plerisque *lectionibus* superstitionis, recitato ad finem carmine, addere solent: *Rucko!* De ritibus sacrificantium commemorare plura liceret, si nostrorum mores similes iis fuisse ostendere possemus, quæ de Lapponibus habet SCHEFFERUS *Lappon: C. X,* & de Finmarchiæ incolis ex Norvegicarum rerum scriptoribus
 excer-

excerpsit WEXIONIUS *Epit. Descr. Sveciæ &c. L. XC. II*, quæque de nostris etiam Fennis, nullo licet nixus argumento, affirmat. Sacrificia humana apud Fennos fuisse usitata, non comperimus. Se ipsos autem Diis devovisse, inde credas, quod ejus moris vestigia recentioribus etiam temporibus deprehensa sunt. Ita de rustico quodam Savolaxensi, non ita pridem fama fuit, eum in jus vocatum, quod aliquas guttas sanguinis e digito suo minimo, in crustam ovi cavam immisisset, & in acervum formicarum defodisset, se sic *Tapioni* devoturus, ut successu latiore in capiendis feris avibusque uteretur.

In adversa vero fortuna, non æque bene majoribus nostris cum Diis suis conveniebat; quos non raro objurgasse dicuntur & male habuisse, alio tempore iterum cum iis in gratiam redeuntibus: quomodo multæ gentes barbaræ facere solent, ac Russos quoque erga icones sanctorum suorum se gessisse, notum est. In carmine venatorio, modeste tamen satis, de *Sylvæ Domina*, (vid. supra p. 46) benefica interdum, interdum dura ita canit vates:

Mielestä Metän Emännän,	Ad placitum sylvæ-matris-familias,
Usein hywän Emännän:	Sæpe bonæ matris-familias:
Sormet kulta formurisa,	Digiti sui aureis ornantur annulis,
Räet kulta käärehisa;	Manus aureis armillis;
Jotk' on suonut annillahan:	Quæ largita est muneri:
Usein pahän Emännän;	Sæpe malæ matris familias;
Sormet wihta formurisa,	Digitorum virgei annuli,
Räet wihtä käärehisa,	Manuum virgeæ armillæ,
Uina auttamattueša.	Usque auxilium negantium.

In superstitione hac sua, fuisse ferventes & obstinatos, difficultas testatur, eandem etiam post Christianam

religionem introductam, compescendi & eradicandi: quamquam hæc difficultas inde major etiam evasit, quod majores nostri convertendi, non de prisca superstitionis vanitate novæque religionis præstantia, studiose edocerentur, sed adhibita vi ad sacra sibi fere ignota amplectenda, pro infelici temporis more, compellerentur. Hinc enim factum, ut occulte venerari veterem superstitionem, & eandem ad posteros religiose propagare, quamvis publice cultum Christianum professi, pergerent; quæ ex ipsa hac arcani disciplina, pretium etiam majus accepit, ut post sapientio rem quoque initam rationem, (maxime post reformationem ecclesiæ nostræ) tamen sine magno labore sensim eliminari, non potuerit. Cum suscepta autem nova fide, veteres de diis suis persuasiones conciliare & confundere, gens rudis & male instituta, brevi cœpit, deosque majorum Christo atque matri ejus, (quam Papistica stultitia ipsi Deo æquare, cultuque religiosissimo profæqui docuit) associare, ut amicos, socios & ministros, instituit. Unde absurdus ille Syncretismus, qui in plerisque regnat veterum carminum reliquiis: cujus quædam in exemplis etiam supra allatis indicia habentur, v. g. in carmine de *Tapione* p. 29. exhibitio; quem a Christo ajunt baptizatum, hoc est, hac cærimonia quasi inauguratum & præsidem sylvæ factum: *Sinun on Kristus ristinnynná, Raicfirvalda fastanunna, Ræfellán meðan fehoa.*

§. XV.

Festa quoque quædam in honorem Deorum suorum majores olim celebrasse constat, ex quibus hæc imprimis ad memoriam nostram pervenere. Scilicet,

I. *Festum Ucconis*, post factam sementem vernalem: cujus notitiam verbis supra a nobis adductis, (p. 24. not (g).

(g) exhibet AGRICOLA. Vestigia ejus hodie superesse, nobis non constat; nisi aliquis huc referre voluerit, quod panem grandem, ad celebritatem festi Julii augendam confectum, tum autem haud frangendum, sed per totam hiemem in granario intra frumenti acervum condendum, quo die primam sementem vere facere instituunt, comedendum familiæ distribuunt, arcanis quibusdam interdum carimoniis & oblationibus adjunctis, ad annonam prosperandam; unde Touko Leipä, *panis sementivus*, vocatur.

II. *Köyri*, l. *Kekri*, post trituram. Quod festum multis adhuc locis Finlandiæ, hoc nomine celebratur; aliis autem appellatur *Lakaiset* vel *Rundu*. Latine *Palearia* dixeris; quia paleas, cum stipulis & stramentis tunc comminuunt. Papismi tempore, cum festo Omnium Sanctorum in unum coaluisse, supra monuimus (p. 31). Ob annonæ autem felicem proventum celebratum fuisse, vel illud indicio est, quod puls ex novo frumento coctum, primum in hoc festo ferculum censetur: quod Savones ex farina avenæ (l. hordei), coctæ primum ac salitæ, deinde vero tostæ, *Talkuna*, præparant. Comporatione & commistatione ludicraque hilaritate, hæc peracta fuisse, quivis facile novit, qui rationem festorum apud alios Gentiles, Græcorum Romanorumque Bacchanalia & Lupercalia &c. sibi habent perspecta. Cfr. etiam testimonium AGRICOLÆ supra allatum.

III. *Vuoden Alkajaiset*, seu festum ineuntis anni, apud Cajanenses; quod ex reliquiis superstitionis priscae adhuc usitatum, describit D:n CASTREEN in Diss. cit. de *Territorio Cajaneburgensi* p. 76 sq.

IV. *Festum S. Olai*; quod, licet Papismi tempore ad hunc præcipue diem translatum sit, ex gentilismo tamen natales repetere, ipsa carimonia indicat agni illius

facri maſtandi & comedendi, quæ hoc feſto obſervatur, deſcripta locis ſupra (p. 31) a nobis laudatis. Ad fortunandam rem pecuariam, comparatum fuiſſe videtur; quare etiam a fœniſecio hoc die abſtinendum fuit, ne ab urſo pecora infeſtarentur.

V. *Fefum S. Michælis*; quod multis adhuc locis ſimili fere ſolennitate a ſuperſtitioſis celebratur, agnoque, hædo aut vitulo maſtando & comedendo, ritibus iisdem peragitur. Feſtum fuiſſe eucharifticum ob feliciter auctam rem pecuariam, dubio caret; quare etiam omne pecus hoc die ſtabulis continent, variosque ſtultos ritus, ad mala quævis per ſequentem hyemem ab iis arcenda, obſervant, qui paternæ ſuperſtitioni tenacius adhærent. Dies autem quod hic præcipue delectus fit, quo hæc ſacra fierent, ex papifmo eſt; quem, familiari majoribus ſyncretifmo, cum avita ſuperſtitione in concordiam redigere ſtudebant. In omnibus his epulis eum obſervant morem, ut victima tota aſſetur & comedatur, nihil reliqui conſervetur, nullum os frangatur; quare communem majoribus ſacrificantibus fuiſſe ritum colligas, nec ad unam magis quam alias cærimonias & ſolennitates ſacras pertinentem.

An *Templa* habuerint olim Fenni noſtri & *Altaria*? hic quoque paucis diſpiciendum nobis venit. Veſtigia quidem harum rerum nulla ſuperſunt, neque nomen eſtat domesticum; neque etiam probabile eſt, nationem paucis contentam, his omnino opus eſſe putaffe. Diximus ſupra, ad Orientalium morem acceſſiſſe priſcorum Fennorum religionem. Inter orientales vero, Perſæ pluresque aliæ gentes, templis caruerunt (a), ac in montibus,
lucis,

(a) CICERO *de leg.* L. II. C. X. Magis auctoribus Xerxes inflammaffe templa Græciæ dicitur, quod parietibus includerent Deos, quibus

lucis, sub arboribus, &c. diis suis sacrificavere. De Germanis veteribus, ex TACITI testimonio, infra adferendo, idem constat; ac etiam ex testimonio ADAMI BREMENSIS de Saxonibus, ad tempora usque Caroli Magni. Quod de nostratibus non minus valet. Exstant autem hic inde apud nos in summis montium jugis lapides magni, tales tamen, qui virtute humana moveri potuere, in ordinem dispositi, forma plerumque quadrangulari, seu ad modum litteræ u latinorum, latere uno aperto. In his existimare quis possit incolas terræ nostræ priscos conventus suos sacros & etiam civiles egisse, atque (quod de *amplis circulis e lapidibus constructis*, in montibusque paroeciæ Tavastensis *Haubo* obviis, populari ibi fama traditur) variis ludis sese exercuisse. Vid. Disp. Spect. D:ni HERKEPÆI de *Paroecia Haubo*, An. 1756 hic Aboæ Svetice edita, p. 55. Tales conspiciuntur ad *Bälstaholm* in paroecia Finström Ålandiæ, in *Eräpyhä* paroeciæ O-rihvesi, ad Fulckila paroeciæ Uskela, ad *Voipala* paroeciæ Säämäki &c. Item in Savolaxiæ paroecia Cuopio (vid. *Novell. Ab. pro A:o 1771. N. 16. pag. 126.*), aliisque Finlandiæ locis. Convenit mos veterum Britannorum, quorum etiam templa talia fuisse autumant, non clausa, sed aperta, & lapidibus circumseptâ; qualia visuntur ad *Stoneheng*, *Abury* &c. (b). Quod ex templo Jumalæ Biarmiorum contra nostram opinionem desumi possit argumentum, supra jam, pag. 18. infirmavimus. Nec effigies aliquas
 deo-

omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset & domus."

(b). Vocabula nonnulla linguæ Anglicæ, quæ reliquæ esse Britanniæ veteris videntur, cum Fennicis convenire, observavimus. Ex, gr. *Cock*, gallus gallinaceus, Fen. *Rucko*; *Woman* mulier Fen. *Waimo*: quæ comparatio institui diligentius potuerit, cum novum Lexicon Galicum s, Scoticum ad nostras manus pervenerit,

deorum suorum majores nostros formasse aut habuisse, comperimus; (ubi videlicet a naturalibus rebus recesseris, quas aut ut deorum sedes ac symbola, aut ut ipsas divinitatis alicujus participes, venerabantur); sed ut naturas invisibiles, subinde licet sub humana forma apparentes, coluisse videntur. Adeo ut prorsus ad eos quadrent verba TACITI de veteribus Germanis: *Nec cobibere parietibus deos, neque in ullam humani oris speciem adsimulare, ex magnitudine caelestium arbitrantur. Lucos & nemora consecrant, deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.* l. c. C. IX.

§. XVI.

Flamines quoque Sacros, seu *Myftas*, Deorum cultui peculiariter dicatos, Fenni veteres ignorarunt. Nec est in lingua nostra patria nomen indigenum, quo Sacerdos designetur. Nam *Pappi* vel a Russico *Pop* vel a Latinorum *Papa* ortum habet. Interim tamen adfuerunt alii superstitionis vel Magistri vel Ministri, loco flaminum ab ipsis culti, quos appellabant *Tietájt* vel *In-domiehet*, hoc est *Scientes* l. *Magos*, qui putabantur plus scire quam alii homines, & Deorum peculiari favore frui. Si quid furto ablatum fuit, si damnum clam acceptum, si aliquid deperditum, si equus, aut aliud animal domesticum aberravit, si commorationem hostis aut amici ignotam rescire e re fuit, si quis exitum propositi sui, vel rei alicujus gravis cognoscere cupiit; ad hos tanquam oracula confugiebatur, qui statim ad ejusmodi quæstiones responsa dabant. Et sane, si ex umbra corpus metiendum, scientiam humana sorte longe superiorem hi profitebantur, nostrique ævi Philosophos omnes, longe superasse videri debent.

Hi fuere simul *Medici*; sed a nostris Medicis admodum diversi. Non enim illis opus fuit ægrum videre, aut cum eo loqui; nec morbum, quo laborabat sibi describi volebant. Si aliquid modo vestimentorum ægri, femoralia, tibialia, tunica, indusium, aut tale quid, ipsis tradebatur, id versando, scrutando & intuendo aliquantisper, ipsi mox indicabant morbum, & unde ortum haberet, aut quis eum intulisset, (nam plerique malorum hominum artibus adscribebantur) & quo remedio curandus esset. Remedia autem eorum raro fuere naturalia, aut quæ in pharmacopoliis reperias. Quod ex consiliis colligi potest, quæ successores sui hodieque dare petentibus solent. Ex illorum enim præscripto debet æger vel bibere ex amne versus septentrionem decurrente, & vas quo bibit retrorsum post tergum super humeros suos abjicere, vel ex cadavere hominis aliquid decerpere, vel clam, omnibusque insciis, summo mane, motu solis cursui contrario, circumire templum, aut ædem bis terve loco motam, vel muneribus placare genios subterraneos, quos forte offendisse putant; vel simile quid suscipere. Si interdum remediis naturalibus, unguentis, emplastris, herbis & radicibus utuntur, carmina vel lectiones incantatorias, super iis mussitant, efficaciam iis sic additari. Si ægrotus queritur se ex his omnibus rebus nullam fuisse opem expertum, culpa conjicitur non in malam diætam, cibum incommodum, perfrictionem corporis, quæ omnia nil nocere putantur; sed inde arcessitur, quod fortem genium adversarium, qui resistat sanationi ejus, vel alium inimicum habeat, vel quod consilium datum rite non sit executus, vel quod acus, bacilli, aliæque ejusmodi res, quibus est incantatus, non sint locis suis exempti, &c.

Hi impostores simul *Magi* sunt, qui ad opem *socii sui*, mali genii, provocant, multasque malas artes, adhibitis veneficiis, ossibus & craniis humanis, susceptis infanticidiis,

I

aliis-

aliisque execrabilibus rationibus exercuisse olim, dicuntur; quales apud omnes gentes, etiam eas, quæ nullo invicem commercio junctæ erant, reperti sunt; quos Lappo jure, *Pärkel Gadse*, hoc est diabolorum commilitones appellare dicitur. Hi inscitiam suam gravi supercilio, vita severa, pauciloquio, murmure incondito, velabant; responsa eorum fuere ambigua & obscura, loquebantur non coherencia, quasi ab alio cum ipsis colloquente interpellarentur. In medendo ita se gerebant quasi malum dæmonem ex ægroto ejicere vellent, gestibus horridis, vociferando, expuendo, furiosorum & fanaticorum instar, ad majorem sibi conciliandam auctoritatem & fidem. Plura de hisce hominibus eorumque carminibus habet *Dn. Præses* in *Dissertatione de Poësi Fennica* part. iv. Atque tales nebulones, ut jam innuimus, reperire adhuc licet hic ibi inter rudem plebeculam; ad quos consulendos, sæpe longis proficiscuntur itineribus, & ab his misere decipiuntur. Inter Cingaros & erroneos alios, talium copia invenitur, qui se fingunt vates & fatidicos, hominesque minis suis, nisi bene habentur, terrent. Pudor est Christianismi, in tam clara luce verbi divini, homines eo dementiae procedere ut Deo ejusque verbo & ordine neglecto, ad homines confugiant de quibus nesciunt, utrum atrii an albi sint, vel utrum ope Dei an diaboli nitantur. Sed tamen, si quis adminiculis ordinariis & naturalibus fatuos hos juvat, raro gratiam habent. Si vero casu quodam, nam artes eorum nil sunt nisi imposturæ, quis a Magis opem expertus fuit, miris in cælum laudibus hi fratres ignorantia evehuntur, & omnibus artis medicæ consultis præferuntur.

§. XVII.

Jam fines quoque & adminicula quibus superstitiosi ad optata quævis, Deorum & dæmonum opera, consequenda

quenda utuntur, considerare nos oportet. Utraque, tam finēs nempe quam adminicula horum hominum, naturalem modum supergressa, a norma rectæ rationis, nimirum quantum aberrant. Communiter autem vel fortunam commodaque sua amicorumve promovere, vel damna inimicis inferre, ac ab his illata propulsare, satagunt. *Superstitionis* igitur *practica* hoc caput in duos abit velut ramos, *magiam* videlicet *beneficam* & *maleficam*. *Beneficam* vocamus illam, qua commoda sua vel Amicorum, præternaturalibus adjumentis promovere student. *Malefica* autem involvit studium, ad damna aliis his artibus inferenda intentum. Utriusque descriptionem, qualis olim apud Fennos exstitit, dare jam studebimus. *Superstitionis*, *Magiam* beneficam respicientis, hæc sunt genera.

Primum *Divinatio*, Fennice *Tiedon* Feino. Omnes gentes verbo Dei destitutæ, salutisque spiritualis & æternæ quærendæ nesciæ, ac temporalia tantum bona curantes, insano ferebantur studio fata sua futura resque abstrusas scrutandi, exitumque cœptorum suorum &c. prænoscenti. Ideo in nationibus cunctis reperti sunt *Vates* & *Oracula*, quorum ope talem scientiam obtineri posse autumabant. Quo nomine etiam Deos suos, eorumque sacerdotes, maxime coluerunt; ut sc. beneficio ipsorum talia cognoscere quirent, quæ sibi scitu necessaria esse putarent. Atque hæc stultitia adeo altas egit radices, ut nec hodie e Christianismo extirpari plane potuerit. Præcipue vero, Fennorum hi scientiæ magistri, *Tietását*, duobus utebantur divinandi adminiculis. Unum erat *Scyphus* vel *Phiala*, aqua, & nuperiore ævo, vino combusto repleta. Hujus fundo & operculo extus infigebantur duo cultri, quorum ope, ita tamen ut non verteretur, circa axin quasi rotabatur quam citissime, adjuncta musificatione certorum carminum, donec aqua, vel spiritus frumenti ebulliret, quo facto in spuma evanescente se

videre putabant eventus rerum futuros, agrorum convalescentiam, vel mortem, faciem furis, si de furto quaestio erat, aliaque similia. Ab hac stultitia non multum abludit *Caffeomantia* quorundam hodierna. Alterum erat pars quaedam *vestimentorum* aegri, de cujus morbo confulebatur, indusium, femoralia, tunica aut tale quid; ex quo considerato, Magus de natura morbi, quo vestimenti laborabat possessor, judicabat.

Pertinent huc etiam *Omina*, *Sortilegia*, atque *Die-rum delectus*.

Omina, Fennis *Uawet*, quasi praefagia rerum futurarum, capiebantur a rebus variis obviis & fortuitis. Aurium tinnitus, novas res auditum iri portendebat; occurfus vetulae, offensio pedis contra limen, lapsus ex equo, pro malis ominibus habebantur; Graculorum strepitus, felis clamor, gallorum cantus, titillationes genarum & menti, adventum hospitem significabant. Mortis praefagia varia fuere, crepitus quem in pariete edit *Thermes Pulsatorium*, canum & bubonum ululatus, crux ex straminibus vel frustulis ligneis ante fores jacens. De procis & nuptiis sumebantur praefagia, a glaciei fragmentis vernis, eorumque appulsi ad lictus hujus vel illius pagi, a scopis & fronde nova compositis, & in tectum balnei projectis, similibusque frivolis casibus. Imo puellae nupturientes, faciem proci futuri se visuras putabant, in rivo manante, si nocte festum Johannis Baptistae antecedente, omnibus inficiis, attente illum inspicerent. Plures tales nugae piget narrare.

Sortilegia exstantiora, Fennis *Arpa*, duplicis generis in usu fuere. Unum per *Cribrum*, quod quidam hoc modo instituunt. Forficem, qua tondentur oves, insigunt margini cribri, cujus interiori ac inferiori simul parti imponitur annulus copulatorius, & penicillus seraceus (*Borste*) erectus; quo facto, unus immittit digitum indicem

em in manubrium forcicis, & manu exporrecta suffi-
 nent hanc molem. Consultor deinde, qui vult rescire
 auctorem damni sibi illati, sive ille sit fur, sive incendiarius, sive homicida, sive alius sceleris auctor, enumerat omnes, quos maleficii hujus habet suspectos. Si incidit in nocentem, cribrum se sponte scilicet convertet, sicque eum indicabit. Alio vero modo alii hoc experimentum instituunt, sic: Sumitur forfex sartorius & infigitur margini exteriori cribri, continentis glomum lanearum, forcicem ovinam, setam, annulum copulatorium, & librum psalmorum; dein duo ex adverso, immisso in manubrium forcicis digito indice, suspensum tenent cribrum perpendiculariter. Dum alteruter, vel tertius quis, nominat aliquem maleficii suspectum ejus de quo quaeritur, alter ei contradicit; negando eum patrasse: cum sic pluribus conjectando numeratis, inciditur in noxium, cribrum conversione sua quaestionem decidet; quo facto, non dubitant quin ille sit maleficii auctor, ad cujus nomen cribrum se vertit. Sed non modo de maleficiis sic forte inquirunt, verum de aliis quoque rebus occultis, de conjugio aut itinere, an prosperum sit futurum, de equo vel bove deperdito, ubi inveniri queat, an erraverit, vel furto ablatum sit, aliisque rebus scitu necessariis.

Alterum genus *fortilegii* nostris usitatum, tale fuit. Ex Assulis ligneis cultro elaboratis, conficiebant pinnulas plures, quibus insculpebant singulis suum signum vel characterem peculiarem; dein musitabant carmen conventum; quo finito ex signo quod tum relinquebatur in manu, conjectabant, utrum felix futura esset venatio, aut piscatura, ubi reperiendum fore animal deperditum &c. Haud absimile instrumentum fuit *Tympanum Lappinum divinatorium*, quod varios habuit characteres & annulos, ex quibus judicabant utrum consultum foret ire venatum, piscatum, vel aliud quodcumque opus inciperet.

re? Eadem certitudine hujusmodi oracula respondebant, ac *liber tessellarius*, vulgo *Kasthofen*, quem superstitioni adhuc manibus, aut ludicro aut imperio ausu, versant.

Dierum delectui non secus Fenni veteres tam in ethnicismo quam papismo, ac aliæ gentes dediti fuerunt. Habebant suos dies fastos & nefastos. Hi atro carbone notabantur, tamquam infausti ad certa negotia peragenda, ipsis *Katehen päiwät*, hoc est *dies invidi* dicti. Tales erant *Syhjät päiwät*, hoc est *dies vacui*, scilicet cum luna non conspiceretur, quales sunt ultimi lunæ decrescens & primi accrescens. His seminare vel agrum stercorare, non erat faustum. *Kuiwat päiwät*, *dies aridi*, sunt quartus, quintus & sextus lunæ accrescens, qui agricolis non adeo probati. *Zuusen päiwä*, *dies venti*, est secundus Januarii, quo non licebat ignem accendere, vel focum struere, metu incendii proxima æstate orituri. *Dies lunæ* non putabatur nuptiis celebrandis idoneus; nec *Dies Jovis*, præcipue sub vesperum, commodus ad nendum; unde scilicet periculum ovibus timendum erat.

§. XVIII.

Secunda species magiæ beneficæ est *Averruncatio* & *Obfirmatio*, Fennis *Lumous*. Persvadebant enim sibi magi, sese obdurare semet artibus suis posse, adversus damna & mala ab aliis intentata, eademque valere a se suisque averruncare & avertere. Sic carminibus *Corpus suum invulnerabile reddere* conabantur, ac adversus tela quæcunque tectum. Cujus generis exemplum, carmen in suo genere sane eximium adferre possemus, ni paginarum angustia prohiberet. Adversus veneficia & magicas artes aliorum, chalybe, sulphure, (& recentius assa foetida), nec non induendis indusio & tibialibus inversis, sese muniebant. Si turbo ipsis occurrebat, conspuebant in illum, exi-

existimantes lamiam vel malum genium inesse. *Pecora* sua firmabant adversus insultus ferarum, & carminibus & variis unctionibus; præcipue adipe eadem phocarum unguendo, simul hos versus canentes:

<i>Riveri</i> minun omani,	In lapides convertimini meæ propriae (sc. pecudes),
<i>Kallioxi</i> Kaunoiseni;	In petram pulchellulæ;
<i>Kiellân</i> Kietin kostemasta,	Prohibeo vos lingua adorien- das,

Surutoin rupeamasta. h. e. Oreque secure tangendas.

Domos suas, ab igne conservabant lapide fulminali, & cruce, calce parieti extus ex adverso foci, adpicta. *Plaustra* & *Vesturas* tutas a furibus præstare studebant cranio & ossibus humanis in fundo rhedæ occultatis. In foro feliciter litigare censebantur, qui portabant lapillos rotundos, quos corvinos, serpentinos vel aquilinos vocant, alicubi in vestibus reconditos. Talis legisperitus invincibilis appellari adhuc solet *Lain* lunoja, h. e. Legis *sopitor* l. *hebetator*.

Referri huc etiam debent *Adjurationes* animalium & elementorum noxiorum, *Ablegationes* malorum, *Pramunitiones* & *Retorsiones* praværum artium in suos auctores, nec non *Restitutiones* læsorum in integrum.

Adjuratione sua adhuc tentant superstitiosi, ut olim, cohibere vim elementorum, ne damnum inferant; ut ignem, ne serpat longius, ventos, ne vehementi flatu perdant navigantes, &c. Visi quoque sunt, qui ignitis carbonibus versus boream projectis, additis diris, ejus vim compescere conarentur. Animalia quoque noxia adjurant ne noceant. Sic *Mures* obsecrant, ne strues sylvestres fegetis demessa (*Sâdesstactar*) nimium rodant; collocato in medio earum lapide, sic eos alloquentes:

Eäs on paasi, pitkähändä, Hic habes lapidem, caudate,
Suu,

Suuripepi sulle suotu,
 Muefinaxi mukamaxi!
 Pure tuota pannahainen,
 Kalwa tätä kinnahainen;
 Eäsä pitkäsä ijsä,
 Minun päiwäkunnisani,
 Allä kajo Numahani!

Concessum tibi jentaculo,
 Prandio quale vides!
 Morde eum nebulo,
 Rode eum exose;
 Per hoc ævum longum,
 Cunctis meis diebus,
 Ne acervum (segetis) meum
 tangas!

Pbalana Tinea, Dermestes &c. insecta sunt œconomis molestia, quia larvæ suæ vestes & carnes corrumpunt; adversus has habent Koin sanat, hoc est *verba Tinea*, quibus noxam inde metuendam tollere se posse, autumant. Talia vero sunt, interpolata recentius, ut cuique facile patet:

Jesus kävi tietä myöden;
 Euli häändä foi vastan.
 Jesus sanoi koihe kowasti:
 Mihinäs menet matoinen?
 Menen tuonne lunta syömään,
 Pihaa menen määtämään.
 Mene tuonne kiven alla,
 Kиду siellä kinnahainen,
 Paru siellä pannahainen,
 Eäsä pitkäsä ijsä,
 Minun päiwäkunnisani! h. e.

Jesus viam calcavit;
 Ocurrit ipsi tinea.
 Jesus tineaē severe dixit:
 Quorsum tendis vermicule?
 Vado illuc, ossa rosam,
 Vado carnem putrefactum.
 Ito illuc sub lapidem,
 Cruciare ibi nequam,
 Plora ibi nebulo,
 Hoc ævo longo,
 Cunctis meis diebus!

Alegatione conantur urfos, morbos, & mala alia longe a se amicisque amovere & exulatum mittere. Et *Urse* quidem ejusmodi consilium dant:

Mehän kulta, mehän kaunis,
 Mehän ehkä emända,
 Mene poisjes täällä maasta,
 Pohjan pienderen perään!
 Siellä on hietä hieputapes,
 Sanda kaunis kaaputapes;

Sylvæ deliciae, sylve decus,
 Sylvæ domina nobilis,
 Abi ex hac terra,
 Ad boreæ ultimas oras!
 Ibi est arena ubi ludas,
 Sabulum lætum in quo volvaris;
 Hawer

Hawerra tuolla hyywifäs,
Hawerra haawan lehuifäs,
Murrele muuriais pefäs,
Mande ibi latus,
Mande populi folia,
Destruere formicarum nidos
(acervos),

Kieri kiven läätiköifäs.
Mutta jos tulet tälle maalle,
Wajot suohon suolimyöfäs,
Lapidum cavis te voluta,
Sed si ad hanc terram accedis,
Mergeris in stagnum usque
ad cingulum (mediam cor-
poris partem).

Uhoon nifistä saacka, h. e. In paludem usque ad mamillas.
Aliud ejusdem tenoris ad *Ursam Marem*, sic audit:

Megän kullainen kuningas,
Megän ehtanen isändä,
Mehroiseni halliparta!
Sylvæ eximie rex,
Sylvæ dominus nobilis,
Sylvicola hirta-barba vene-
rande!

Käys mun kierten kalliojani,
Kaarten karjan lautumita,
Siwukse siko weräjän!
Mene tuonne, kunga käffen,
Pohjan penderen peräjän,
Lapin maahan autiohon!
Siell' on kedot juostarefi,
Ambito meas rupes,
Circuito mea pascua,
Præterito suum vias!
Abi illuc, quorsum jubeo,
Ad boreæ cardines,
In Lapponiam desertam!
Ibi sunt campi quos per-
curras,

Sannat hekketellerest,
Siell' on luntoinda lihaa,
Siell' on päätoinda kalaa,
Arenæ in quibus ludas,
Ibi est caro ossibus vacua,
Ibi sunt pisces capite carentes,
(h. e. toti edules).

Siell' on ämmä hirtettynä,
Ibi est vetula suspensa (in
patibulo),

Siell' on hirwet kekettynä,
Ibi sunt alces numella ligatæ,
Ibi cervi-nobiles conjugati.

K

Mor-

(*) Hac voce, *Salopeura* quasi *cervus-egregius* (l. *firennus*),
absurde admodum uti olim instituerunt Bibliorum interpretes &c. ad

Morbos quoque procul amandare volunt hujusmodi
carmine:

Runneta panen pahoja? Quorsum removeo mala?
Tuonne tungen pois turmiot, Illuc trudo noxas,
Siki syöpähän hysään, Sudoris voratorem (tortorem,
qui sudorem anxio exprimit),
In cataractam Rutiensem ma-

Rutian kofteen kowahan, gnam, (**)

Haurwin suuren hartioille, In lucii magni humeros,
Lohen pyrstöhön punaisen, In salmonis rubram caudam.
Menecks sinne sekahan? Anne vadis illuc, ad cætero-
rum turbam?

Tuoll' on muutkin murhamiehet; Ibi sunt alii etiam homicidæ;
Niiden syöpähän kylään, In pagum anthropophagorum,
Lapiin maahan laukiaseen, In Lapponiam spatiosam,
Pohjan pitkähän perään. h. e. Ad ultimos aquilonis angulos.

Cfr. supra p. 20. sqq. allata.

Tympanites morbus est gravis, homines, equos &
pecora non raro invadens, *Ulfy* l. *Ulfä*, Fennis dictus.
Hunc curaturi, in tria animalia, ter repetitis mandatis,
abire eum jubent; hoc modo, in canem mittendo:

Mä Ulfä ällertele, Noli tympanites tumultuari,
Mä puhka pullertele; Noli inflatio murmurare;
Koira meille kaxi kannoi, Canis nobis duos peperit,
Koivaret polat molemmat: Masculos catulos ambo;
Syö näiden sydän-veri, Hauri horum cordis sanguinem,

Mate

Leonem significandum; quem *Lejona* dicere debuissent, ac animal peregrinum peregrina voce, aliarum gentium Europæarum more, commode designare. Hoc loco Leonem non posse indicari, res ipsa sole clarius meridiano docet.

(*) In quo fluvio hanc cataractam esse autument, non liquet; sed in Runis sæpe ejus fit mentio, ut & quarundam aliarum, nec non *Lacus*, *Alcen* *Järvi*; de quibus non vacat disputare.

Matese niden mavan pädle, Repta super eorum hepar,
 Mä minun armaani kajo. h. e. Noli dilectum meum infestare.

Dein pari modo in felem & lupum mittere nituntur. Imo dolorem partus a puerperis similiter auferre, & vel viris, vel animalibus etiam aliis immittere se posse, sibi persuadent.

Premunitione caveri a se censebant posse insidias & conamina malorum hominum, qui artibus magicis ipsos lædere attentarent. Quod variis modis fiebat: signo crucis, tibialium inversione, nodorum quorundam formatione, donis & sacrificiis; & sic porro.

Retorsione existimabant se liberari ab illis damnis & malis, quæ inimicus aliquis ipsis intulit. Hinc in eorum capita & sinum retorquere nituntur, artis hujus magistri, ab illis accepta; unde certamen oritur inter ipsos, uter altero superior evadat. Sic *glomos ferales*, Fennis *Eyrät*, putant vulgo, ultro citroque mitti posse ab illis, qui scientiæ magicæ sint consulti. Ursum excitatum, etiam retro missuros se pollicentur in armenta alterius. Etc.

Restitutione læsorum in integrum, Fennis *Palatus*, nitebantur magi damnâ data resarcire, læsaque & amissa in pristinum illæsum statum revocare. Credebant unum posse resarcire id, quod alter læsit. Cogebant furem ablata reddere. Si incantationibus, alicujus bombardâ, multrale, nassa, aliudve utensile erat depravatum, putabant similibus artibus restitui posse; non superstitiosis minus ac frivolis, quam ipsum malum avertendum. Atque vulgus adhuc putat Hypocausta ad segetes torrendas comparata (*Nior*) magicis artibus corrumpi adeo posse, ut per trituram frumenti parum aut nihil inde obtineant, licet messe compleatur. Tale damnum reparatur, si ramos abietis, torrendos in hujusmodi hypocausto colloques, instar frugum, & dein, more solito tritures; tunc scilicet

recuperabit domus pristinam integritatem. Si uxoris animus a marito est incantamenti abalienatus, amare eum rursus incipiet, si hic ex calceo ejus aquam rivi manantis bibat, & istum retrorsum super humeros abjiciat. Atque similes ineptiæ plures.

§. XIX.

Tertia species magiæ beneficæ est *Fortuna Captatio*, Fennis Omnia tuomina. Superstitiosi homines, nunc ut olim, fortunam sibi faventem reddi posse artibus reconditis autumant, quibus multum igitur tribuunt. Sic fortunam aliorum ad se transferre student, ex ovili, bovili, stabulo & omni re pecuaria illorum, ut sibi melius succedat butyri præparatio, ut lactis copia ac pecoris fecunditate augeantur, & sic porro. Consequi autem hæc miris nituntur modis. Quidam tempore quadragesimali aliorum stabula & ovilia clam visitant, caudas equorum & jubas præcidunt, ovium certas partes tondent, boves radunt, vaccas ad sanguinem usque mulgent, cornua & lituos infant mane Paschatos, qui sonus quam late auditur, ex tam amplo regionis tractu putant ad se omnem fortunam lactis, butyri &c. obtinendi, converti. Serpentes (Colub. natr.) qui in sterquiliniis nidulantur, ut & homunculos subterraneos venerantur, lac & butyrum ipsis apponentes; multaque ejus generis alia, quæ ex reliquiis paganißimi & papissi hic ibi supersunt adhuc apud plebem. Longa est enarratu fabula, quas artes, & quæ carmina, vetulæ & mulierculæ adhibeant, dum primo vere pecudes in pascua primum emittunt, ut sc. immunes maneant a feris, ne errent & dissipentur, ut domum vespere redeant, ut vaccæ taurum admittant, ut vituli & agni læto successu crescant ac multiplicentur, ut sagæ & lamia earumque artes averruncentur. Nescio quis etiam *Spiritus familiaris* recentiori ævo nostris innotuit, (quod nomen nec
rite

rite enuntiare valent Fenni, sed appellant eum Divitijs), qui putatur afferre amicis suis divitias, pecuniam, aliaque bona, quem possidere multos ex ditioribus, plebecula existimat. Verbo, nil negotii gravioris nominari potest, quod vacet superstitionibus, successum ejus promovendum spectantibus. Conjugium præcipue, cerevisiæ & saponis smegmatisque coctio, pistura, piscatura, aliaque domestica munia, bene cedere haud putantur; nisi observatis observandis, certis videlicet anicularum commentis. Nullus nominari potest artifex vulgaris, qui suis olim careret ineptiis; sartor, futor, faber, molitor, pistor, certis omnes ritibus domesticis sua peragebant munia. Castratorum præcipue, & eorum qui medicinæ alicujus speciem profiterentur, carmina existunt & lectiones bene multæ. Quin superstitio & magia præscis temporibus ipsa elementa & leges naturæ ad sua obsequia cogere nitebatur, ac velut miracula edere; ad quæ ignorantia & hominum credulitas stupebat. Existimabant nempe, magos, lapidi insidentes velut Scaphæ, posse flumina & lacus transire, animam ipsorum carminibus & exultatione, corpore solutam, posse proficisci ad exteras regiones, & intra aliquot horarum spatium inde afferre notitiam rerum, quæ ibi agerentur; posse ipsos ex nodis antea adstrictis, solvere ventos secundos vel adversos, mitiores vel vehementiores; pares esse pluviis & tonitribus excitandis, imo lunæ coelo auferendæ; valere homines convertere in lupos, ac canes; & sic porro. Non secus ac illa de qua VIRGILIUS canit Libr. IV. *Aeneid.* v. 487. sqq.

Hæc se carminibus promittit solvere mentes
 Quas velit, ast aliis duras immittere curas;
 Sistere aquam fluviiis, & vertere sidera retro,
 Nocturnosque ciet manes; mugire videbis
 Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.

§. XX.

Sed malefica quoque superstitio & magia veterum Fennorum, qua nocere conabantur illis, quibus male cupiebant, nobis erit paucis consideranda. Genera ejus constituimus sequentia.

I. Primum est *Fascinatio* vel *Præstigia*, Fennis *Silmân* *fåändåminen*, hoc est *oculorum conversio* i. *delusio*. Instituunt enim malefici, suis incantamentis aliorum hominum sensus omnes, tam internos, quam externos, facultatesque cunctas corporis ac animi, adeo perturbare, ut non sint sui compotes, sed ut audiant, videant, sentiant ea, quibus prorsus fallantur, vel semet ipsos lædant.

Oculos præsertim variis præstigiis deludere volunt: ut ex. gr. baculum pro serpente, stramen pro trunco, folia pro nummo, stercus pro pane, hominem pro lupo vel cane habeant, & sic porro. Formas assumere se posse, hi olim dictitabant canum, catorum &c.; imo alios etiam transformare in lupos, ursos, & quæ non?

Aures ita vel surditate afficere tentant, ut non audiat alter, quæ sanas aures latere nequeant, vel adeo corrumpere, ut alia audiat, quam quæ contingant, aut ea, quæ nemo sanus audire potest, ex. gr. sermones & sonos musicos, ubi nulli sunt &c.

Linguam reddere conantur *mutam*, ut homo fari non possit, vel eam confundere, ut præter rem loquatur falsa, absurda, & insana. *Phantasmam* turbare adeo nituntur, ut helluari & choreas ducere se alter stulte putet, cum sociis varii generis, qui non adsint, imo duci ad *Blåfulla*, (*Hiiiteen*) vel loco & montes alios nefarios, ibique convivari cum patre inferorum ipso, vel his atque aliis sagis, cum illis loqui, venerem exercere, & similia.

Imo *Mente* prorsus alienare alium instituunt, & effi-
cere

cere eum maniacum, vel phreneticum. *Facultatem libere sese movendi* constringere, vel plane auferre student: ut ex gr. fur non possit abire cum rebus surreptis, vel ut cogatur mox ea restituere, nec a sarcina se expedire queat, nisi a possessore liberetur; ut intrans alterius novale rapis consitum, vel hortum, inde exire nequeat nisi dimittatur; quod opera cranii humani alicubi defossi, peragi ferunt.

Affectus omnes ciere posse pro lubitu, iidem existimantur, odia & inimicitias gignere, terrores incutere, amicitias conciliare, animos iratos lenire &c. In rebus matrimonialibus hujusmodi conatus triti sunt, quos referre piget. At non modo homines sic fascinari creduntur, sed alia quoque animalia: Ut *Serpentes*, ne loco cedant, sed capi vel occidi se patiantur; *Mures* ne rodant; *Cimices*, ut super filum rubrum extensum domo exeant. *Feras* & speciatim *Ursos* in aliorum armenta immittere fascinationibus suis se valere, gloriantur. Quorsum sequens cantilena, auditu quidem horrenda, at effectum nugax, spectat:

Mouse Karhu Kangahasta,	Surge Urse ex campis arenosis,
Hiedasta hewoisen syöjä,	Ex sabulosis desertis, equi esor,
Wiidasta wihainen kisa,	Ex fruteto, iracunde felis,
Korwesta kovera koura,	Ex eremo, curvis unguibus in-
Karwahastu halmehista,	Ex virgultis, hirsute, (clyte,
Nullikoita murtamahan,	Ad opprimendos juvencos,
Wasiikoita wainomahan,	Ad vitulos persequendos,
Hewoissa haastamahan,	Ad equos devorandos,
Karjan lauma kaatamahan. h. e.	Ad armenta posternenda &c.

II. *Veneficia*, noxæ, læsiones & corruptelæ variæ, Fenn. Moitumus, sensu angustiore. Nam adeo immanes erant homines, suntque adhuc, ut artibus nefariis aliorum vitæ, salutis & fortunis insidientur, nullumque adminiculum, finem

finem tam sceleratum attingendi, modo clam & tuto fieri possit, turpe putent. *Vita*, qua nil homini carius, exposita erat venenatis eorum telis & artificiis, vel lentis vel citis. Fennis præcipue ad eum finem inserviebat *Syrâ*; quod malum describunt ut glomum, tam intenso dolore interiora cruciantem, ut mors certa sequatur. Hunc igitur in inimicos suos immittere conabantur. *Morbis* etiam illos vexare & plagis aliis insanabilibus afficere se posse, jactabant; ut fieret hostis vel mente motus, vel melancholicus, vel paralyticus, vel cæcus, claudus &c. Imo omnes morbos, ex malorum hominum technis oriri plerumque putabant; quos remediis similibus, tamquam antidotis, rectissime curari autumabant. *Conjugium* quoque alterius turbare & infelix reddere animo agitabant, illudque efficere vel sterile, vel liberis stolidis, infaustum, vel rixosum, vel alio quocunque modo inauspicatum. Quin *Mores* inimici depravare studebant, & ita eum incantare, ut fieret vel fur, vel latro, vel adulter, vel bibax, vel prodigus, vel alio modo vitiosus. Ut raceam innumera tentamina, quibus perdere aliorum bona & possessiones nitebantur, rem præcipue pecuariam aggredientes, ne abundantî prole augeretur, ne vituli essent vivaces, ac multum laborantes ut scabie & pediculis scaterent, ut nullo successu fruerentur, ut errabundi inciderent in pericula & feras, ut stabulum & bovine semper infortunio esset affectum &c. Tentabant etiam corrumpere varia utensilia, ut bombardam ne scopum feriret, neque feras vel aves necaret; vas butyro coagulando confectum, ut butyro materfamilias frustraretur; nassas & retia, ut pisces illa vitarent; horreum siccandis & triturandis segetibus destinatum, ne copiam frumenti ederet. Imo nil erat negotiorum domesticorum, quod a malis hominibus, eorumque sinistris oculis, periculo carere existimabant.

Quare sollicitè cavebant, ne quis suspectus aut ignotus homuncio præfens esset, talia peragentibus. Si vero forte interveniebat, exeuntem cineribus ignitis prosequerentur, ne scilicet quid nocimenti ab ejus malicia remaneret.

III. Dira & Exsecrationes; Fennice dixeris *Puffat, Ritouet*, quibus hosti vel inimico suo, cui male volebant, plenis faucibus mala imprecabantur, ipsisque & omnibus ejus cognatis & peculiis dira quævis optabant. Certis carimoniis & verborum formulis, imo adjunctis adminiculis nefariis, hæc peragebantur; ita ut vividissimo, simulque intensissimo, quo unquam possent affectu malum alii velut intrudere & agglutinare velle viderentur. Hæc nostris quidem majoribus imputare ex domesticis testimoniis non possumus; sed illis Fennis, de quibus monumenta litteraria Islandorum commemorant, familiaria fuisse, horum fide novimus. Plerumque conjunctæ erant cum Gothorum sic dicto *Seidur*, seu *coctione*; quo pacto *STURLONIDES Huldæ*, veneficam Fennicam, Vanlando regi Svecorum vitam ademisse narrat; ipsum hominem saga talis, quasi coxit, & carminibus diris devovit, simul calcando simulacrum ejus, nunc super caput, nunc super pedes. Etc.

§. XXI.

Sed satis de his nequissimis moliminibus; quorum ut nonnisi umbra historica remaneret, optamus. Jam ad noctis hujus qualemcunque, oriente luce Christianismi, dispulsionem & commutationem spectandam, nos accingimus. Allata videlicet ad hunc mundi cardinem religione Christiana, spissæ tamen adeo tenebræ, cito dispelli non potuere. Idololatriæ quidem & superstitionis crassioris magna pars pedetentim abolita fuit, cum ad agni-

tionem veri Dei & Servatoris nostri, gens nostra sensim perduceretur; sed quia bonum illud semen verbi Dei, quod hic ferebant præcones primi, innumeris erat traditionibus humanis mixtum & contaminatum, hinc non poterat initio præsertim, fructum ferre exoptatum ac satis locupletem. Nam quia religio Christiana, qualis tunc fuit, papisticis ipsa superstitionibus scatebat, facile oriebatur, id quod jam significavimus, in gente rudi, mixtura utriusque mirifica; & veteres Dii una cum Christo & Maria aliisque sanctis invocabantur. Virgini Mariæ divinitatem quandam revera fuisse tributam, vel hi versus docent, e carmine desumpti, quo illam, ut puerperis optularetur, invocabant:

Meityt Maria emoinen,	Virgo Maria mater,
Sin' olet wanhin waimoia,	Tu es mulierum (omnium) ætate provec̄tissima,
Elähitä ensimmäinen ic.	Viventium prima.

Ad superiora turpis hujus syncretismi exempla, addere sequens placet carminis, quo utebantur, cum quis in foro culpa se exsolvere necesse haberet, ferri candentis portatione; opem implorari hic videas & Christi Servatoris, & *Loubi*, Deæ frigoris, quam uxorem Boreæ habitam fuisse, probabile supra p. 44. sq. diximus.

Loubi pohjalan emändä,	<i>Loubi</i> borealis sedis domina,
Bedepä wetinen lumie,	Induc aqueum tegmen,
Rahden puolen kämmendäni,	Ex utraque parte palmæ meæ,
Zulen tuicki polttamata,	Ne ignis perurat,
Waskian warastamata.	Ne flamma lædat.
En siiku omihin lihoiin,	Non incedo in mea carne,
Tiikun Jesusen lihoilla;	Incedo in carne Jesu;
En wärwif omin wäin,	Non potentia propria moveor,
Wärwin Jesusen wdellä;	Moveor potentia Jesu;

Zulen

Eulen tuicki polstamata, Ne ignis perurat,
 Balkian parastamata. Ne flamma lædat.

Ac ubi veteres superstitiones abolebantur, novæ haud raro iis succedebant, non meliores, præsertim benefici generis; ac ex maligno etiam, fascinoes quædam & execrationes. Dierum vel faustorum vel infaustorum numerus augebatur. Morbi jam curabantur in nomine virginis Mariæ & sanctorum. Ejusmodi carmina, quæ ad hos dirigebantur, non superstitionis, sed sacris, annumerabantur; licet cum abusu nominis divini profano, usus eorum semper conjunctus esset. Ceu patet ex sequenti lectione, quam adhibebant castratores animalium:

Pustaila puhtaila, Artibus mundis,
 Herran hengellä hywällä! Cum Domini bono spiritu!

Est exordium. At peracta incisione ait operator:

Suo wettä Jordanista, Bibe aquam ex Jordane,
 Neizen Marian pesinwettä; Ex aqua quæ virgini Mariæ
 levationi inservit,

Uwõs wismoille wirune, Ne pustulas contrahas,
 Uwõs wamnoille walene, Ne ulcera excitentur,
 Ulfoa tai sisäldä, Neque extus neque intus,
 Jesusen hengen kaudo! h. e. Propter spiritum Jesu!

Reliquiæ sanctorum, claves templorum, vestes monachorum, imo ipsa sancta sacramenta, ad supersticiosos usus adhibebantur. Exorcistæ novi generis oriebantur, qui diabolum, ut morborum causam, ex hominibus, animalibus imo rebus inanimatis, utpote aqua, sale, lacte &c. ejicere, magno sc. ausu, nitebantur. Carmina, & superstitiones quæ superflunt, maximam partem ejus ævi, earumque opinionum ostentant vestigia. Cruce omnia notabant, benedicebant & maledicebant, diris devovebant, anathemate feriebant, divinabant, lectitabant, sufflabant pluribusque ejusmodi offuciis homines fallebant;

bant; quibus rebus nil aliud suberat, (parva excepta Christianismi scintilla, ex qua tamen benigne nobis lucem Evangelii Deus tandem excitavit), quam vana superstitio,

§. XXII.

Jam ad describenda adminicula, quibus magi alique superstitiosi homines, ad fines suos pervenire, & effectus ejusmodi mirabiles, atque ex mente eorum naturæ viribus superiores, præstare satagebant, progredi, ordinis nos ratio jubet. Arcana autem magiæ malefanz pandere studens, fateor artis futilis non minus quam nefariæ plenam descriptionem me dare haud posse, (quam, qui mysteriis ejus initiati sunt, studiosissime occultant); ea tamen quæ rescire potui exhibebo, quod ad stultitiam & impietatem ejus demonstrandam, nihil æque efficax esse putem, quam si deliria hæc retegantur, quæ mysterii specie qua teguntur, in hominibus rudibus infelicem curiositatem, metum, vel confidentiam majorem, excitant. Nihil princeps tenebrarum molestius fert, quam si in lucem producat, artesque & opera sua in apertum collocentur; in tenebris est magnus, & quamdiu noctem inducere conatibus suis valet, tamdiu hic præstigiator mirabilia monstrat. Sed si velamen, quo technas suas celat, auferre licet, mox patet infirmitas ejus, quantus sit ardelio, quamque absurdis strophis homines fallere studeat. Magiæ autem hujusce adyta explorare & difficile est ut significavimus, quia raro aut vix unquam magi & sagæ ad sinceram suorum conaminum confessionem perducere queunt, & paucissimi tentarunt, partim præ hujus artis abominatione, partim metu, ne ipsi vel his laqueis irretirentur, vel in suspicionem aliorum, tanquam studio nefariæ hujus scientiæ dediti, aut peritia ejus valentes inciderent: qualis suspicio, olim imprimis, &
faci-

facile nascebatur, & periculofissima sane erat. Quare nec ipsi plene omnia ejus myſteria jam noverunt, qui artis hujus se magiſtros profitentur: quorum tamen alius alio est peritior. Præcipua autem adjumenta, quibus sic dicti magi utuntur, & quorum ad nos pervenit noticia, hæc esse feruntur:

I. Characteres Magici; qui sunt litteræ, numeri, aut alia signa, quibus virtutem ſingularem, vel ad mala infligenda, vel ad bona procuranda, ineſſe putant. Comperitum tamen non est, an Fennis noſtris ejuſmodi characteres uſitati olim fuerint? qui videlicet ſcriptura omni, antiquitus caruerunt. Quod tympanum etiam Lapporum attinet, & characteres in eo ſignatos, luſorii illi, & ſortilegi potius fuiſſe quam magici videntur.

II. Vocabula & ſententiæ breviores, quibus morbis imponere, ut abeant, vel ſerpentes faſcinare, vel ſimile quid ſe præſtare poſſe putant. Sanat (verba) audiunt, tales, & cenſentur eſſe maximi valoris. Quales hæc ſunt Madon sanat, *verba ſerpentis, vel contra ſerpentem,* quibus ſerpentem ſiſti ajunt ne poſſit aufugere: *Maa pida matoa, Pyhä Hengi perkelettä, Terra tene ſerpentem, Spiritus Sancte diabolum.* Nika sanat, h. e. *verba ſingultus,* hujus formæ:

Nika meni niinehen,
Mina niinen kandajari;
Nika meni tuulehen,
Mina tuulen kandajari.

Singultus abiit in tiliam,
Ego (factus ſum) tiliæ portator;
Singultus abiit in ventum,
Ego (factus ſum) venti portator.

Eölyyn sanat, ſeu *verba vaporis calidi,* qualis in balneo ſolet eſſe, quibus vulneribus sæpe nocet, & inflammationem excitat:

Euwe, terwe lölyſeni!
Ei lölyyn löytämistä,

Salve, ſalve vapor (calide)
Nil eſt, vapor, quod hic invenias,

Et wetoisen welkomista;
 Oina löyh, wieras lipu.

Nil spasme, quod tibi debeat;
 Proprius est mihi vapor, dolor
 peregrinus.

III. *Carmina*, nostratibus, sicut plerisque aliis popu-
 lis, in arte magica maxime usitata. Hinc *Circe* apud
 OVIDIUM de se canit:

Et ego cum Dea sim, nitidi cum filia folis,
Carmine, quæ tantum, tantum quæ gramine possim.

Carmina ejusmodi magica, Svecis audierunt *Gastvar*, ac
 olim *Galdur*, qualia *Odinus* ille Asiaticus calluisse dicitur,
 & bacillis vel assulis insculpebantur, atque in personam
 incantandam projiciebantur. Cfr. Illustr. SUHM de *Odi-
 no* Lib. 4. C. 2. §. 12. p. 353. Fennis appellantur *Eugut*,
 seu *lectiones*, quæ non canendo, nec alta voce enunci-
 ant, sed mustitando, magna devotione, & nudato capi-
 te efferunt, præsertim Christianismum redolentes, in qui-
 bus mentio fit vel Christi, vel virginis Mariæ, aliorum-
 ve sanctorum. Contenta horum carminum, præcipue
 medicorum, est vel *expostulatio* cum re nociva e, gr.
 ferro, cur læserit, cur talia ausus sit tacere. Ex. gr.

A mixis weristit welses? Cur fratrem tuum cruentasti?
 A mixis pahoja teit? Cur male fecisti?

Vel *comminatio* non impune laturam facinus, vel *expro-
 batio* foedæ & notæ originis, seu natalium; vel *jaclantia
 de medela*, quæ sit in promptu & bene cognita. ex. gr.
 Dum morsum serpentis curare volunt, hos versus legunt:

Mato musta maan alainen, Coluber nigre subterraneæ,
 Kiperä kiwen alainen; Flexuose sub lapide jacens,
 Päpi puitten puettele, Per arbores serpe,
 Päpi mätkästen menettele! Per tuberosa reptita!
 Vuulit puuta purehensa, Putasti te momordisse arbo-
 rem,

Pajun juurta pannehensa. Et punxisse radicem salicis.
 Etia

Etta itse pahoin teit,
 Wieldä poikas pahemmin teke.

Ut ipse male fecisti,
 Filius tuus adhuc pejora com-
 mittit.

Paremmiin tiettyä parannat.
 Kollä minä sutus tiedän:
 Hollakon koosta koottu,
 Saatu sammakon kuuusa;
 Hiitolaisen hiuskarwa,

Rectius sanas quod nosti.
 Satis ego natales tuo scio:
 Ex sterquilinio es lectus,
 Conceptus in ventre ranæ,
 Capillus Dæmonis ex familia
 Hiisi,

Pannehesa partakarwa.

In nocendo barbæ pilus (acuto
 mucro ne instructus).

Jimbi wirran wiertehestä,

Virgo (Maria?) ex littore flu-
 minis (Jordani?)

Kanna mättästä mättästä,
 Euki reikä tarpeheri.

Apporta cæspitam ex sylva,
 Vulnus occlude quantum satis
 Sanguis Jesu ruber, (est.

Jesuren weri punainen,

Lac Mariæ dulce,
 Sit ulceri unguentum,

Marian malkia maito,

Vulneri medela, (nā;

Ripehelle woiteheri,

Intus (vulneri) doloris cessatio-

Haawalle parannurexi,

Subtus plenæ sanitati.

Sisälä kiuwuttomaxi,

Mda aiwan terweheri. h. e.

Vel describitur in illis medicina, & optatur bonus suc-
 cessus; quocirca abusus nominis Divini, & mentio divo-
 rum, non raro irrepit. Sic sanaturi vulnera ferro infli-
 cta, & ablaturi Naudan wihat, ut ajunt, seu *iracundiam*
 (h. noxam) *ferrī*, hæc recitant:

Koska rauta pahan teke,

Quando ferrum nocet (male
 facit),

Terä hierra tembaisepi,

Chalybis acies lædit, (*)

Tuo turwet tuwan taſaa,

Apporta cæspitem sumtam po-
 ne domum tuam,

Gane

(*) Hiatus hic manifestus est, & deest nomen divi, cujus auxilli-
 um imploratur &c.

Sammas' säinän salwoyista;
 Zuli reikä turpahäri,
 Määdän' mulda määtähäri,

Ellet wisinolle wirunne,
 Ellet wanninolle wälene,
 Kummaldakan puolelta,
 Jesuren kengän kannolda.
 Mehiläinen ilman lindu,
 Zmbi pitwästä pyrähdä,

Wahro nissitäs walota,

Ripehellä woitehepi,
 Saawalle parannuxepi. h. e.

Muscum e parietis rima;
 Opple (eo) vulnus,
 Resolve humum in obtura-
 mentum ejus validum,
 Ne (vulnus) infestetur pustulis,
 Ne in ulcus abeat,
 A parte alterutra,
 Propter calcem Jesu.
 Apis avis ætherea, (*)
 Virgo (Maria) ex nubibus su-
 bito appare,
 Spumentem liquorem (lac) ex
 uberibus tuis funde
 Ut sit ægro unguentum,
 Vulneri sanatio.

Aliter tonant *verba ferri* quæ leguntur in Dissert. Domi-
 ni Præsidis de *Poësi Fennica* Part. V. p. 95. seqq. ubi ar-
 chæologia ferri adducitur, cum exclamationibus & ex-
 postulationibus. Facile quisque videt, quid virtutis hu-
 jusmodi carminibus sit tribuendum; licet GABR. MA-
 XENIUS, (ex cujus collectaneis, quædam in usum no-
 strum carmina transcripsimus), in Dissertatione sua *De*
effectibus fascino naturalibus, hic Aboæ Anno 1733 edita,
 p. 24. absurde autumat: *Effectum rhytmos recitatos conse-
 qui, in aprico est.* Quin neque ipsi magi nostratium, lo-
 la recitatione hujusmodi carminum contenti sunt; sed
 unguenta præterea adhibent, ex resina & pice confecta,
 quibus tamen raro ipsùm vulnus, sed pierumque secu-
 rim vel cultrum, quo quis se læsit, perungunt, laciniis-
 que & fomentis cinctum seponunt, donec vulnus ad sa-
 nationem spectare putent. *Carmina malefica*, diras conti-
 nent & execrandas imprecationes, quæ ob atrocitatem
 vix

(*) Etiam hic est hiatus; cfr. versus, supra (p. 29. sq.) allatos.

vix referre queamus. Unum tantum exemplum adpote-
mus, quod contra *invidum*, five cujus oculos fatales (su-
pra p. 79 & 80,) metuunt, recitatur:

Ken katehen katonowi,	Qui invide adspicit,
Silmin kieron kapingiwi,	Limis oculis speculatur,
Tõisa nãisa ollesani,	Dum in hoc opere versor,
Siluat werta muotuwohon,	Oculi (ejus) sanguinem stillent,
Naswana rapattuwohon,	Unguenti instar defluant,
Tuonne helwetin tutehen,	Illuc in inferni ignem,
Dahan wallan walliahan, ic.	In mali dæmonis flammam&c.

IV. Carimonia & ritus. Varii hi sunt, & pro di-
versitate rerum atque gentium, diversissimi, superstitioni-
nisque ipsam constituunt medullam, tædiosi non minus
quam longi recitatu. Coemeteria nempe ante ortum so-
lis pluries circumiri debent; Ossa humana hic & ibi se-
peliri; hoc vel illud a tergo, oculis irretortis, projici.
Amuletum aliquod in collo vel pectore est suspenden-
dum; Absque nictu oculi, & uno anhelitu, certum iter
cursu conficiendum; Vespere diei Jovis colum non mo-
vendum; Oratio Dominica ordine retrogrado recitanda;
& sexcenta ejusdem furfuris alia: ita ut nil boni vel ma-
li effici putent, nisi quibusdam observatis hujus generis
putidis carimoniis. Hoc more pecus in pascua primo
vere agi, agrum feri, insidias malorum geniorum cave-
ci, &c. oportere, credunt.

V. Affectus & gestus miri, fanaticisque similes. Si
inferendum vel ablegandum est malum, horridis & vel-
et furiosis hoc opus suscipitur gestibus, murmure & cor-
poris agitatione. Virum nobilem in Paroecia Tõffala pe-
dibus ægrum, ante paucos annos audacter adiit circula-
tor, qui sese sanaturum eum promisit, modo suis sese
manibus ille committere vellet. Annuit æger; Circula-
tor balneum calefacit, & scopas sibi plures comparat,

ex plurium arborum frondibus compositas. Dum intrant balneum, circulator primum horrendis gestibus & voce abigit omnes dæmones & malos hostes, scopis testum, parietes, pavementum verrendo; dein scopis frondosis paulum calfactis, ægri corpus, more Fennis usitato diligenter verberat, sua carmina mustitans; postea cultro scopas in minutissima, summa cum iracundia, fecat frustula, quæ sub pavimento balnei defodit; quod vir ille, cum risu amicis læpe narravit. Paucis diebus a balneo isto, melius quidem se habuit; sed malum tamen non recessit.

VI. Fraudes & ludibria. Nam e potiori sua parte superstitio magica nil est nisi impostura, ex fraudibus & ludibriis composita. Unde recte CURTIUS *Hist.* L. VIII. C. 4. de *Cobare Medo* quodam mago, loquens, ait: *ipsum magis professione quam scientia celebrem; & de tota arte addit: Si modo ars est, non vanissimi cujusque ludibrium.* Qui enim se magos simulant, vaferrimi plerumque sunt nebulones. Nunc cimices & mures expulsuros domo, nunc omnis generis morbos curaturos, nunc pecudes a bestiarum insultu protecturos, nunc prosperaturos butyri confectionem, vitulorum valetudinem, conjugii fortunam, &c. sese promittunt; sed vano eventu. Unde sæpe dignam professione sua mercedem reportant. Est eorum plebecula nostra in ea opinione, ut putet magorum conatus inimicos irritos fore, si sanguinem suum ipsi conspexerint. Unde, cum suspectos se reddunt de mala voluntate, atque viribus sunt inferiores, tam probe non raro ex improvviso caduntur, ut nasus & os sanguinem spument.

VII. Consilia oppido inania & absurda. Interdum nimirum adminiculis uti videmus superstitiosos homines, ad fines suos attingendos, quæ vel primo intuitu valde inepta, ridicula & absurda esse, in oculos cuique incurrit.

rit. Sic v. gr. carbones ex incendio ablatos in Tympanite, argentum hæreditate acceptum in Apostemate, aqua fluvii & rivi boream versus defluentis in Febribus, lignum e parietibus domus ter loco motæ in Spasmo, & sic porro, magna vanissimaque spe adhibent. Remediis ejusmodi absurdis, vulgo sympathiam vel antipathiam naturalem prætendunt; sacram omnium hebetium & stupidarum mentium anchoram. Lepidam adterre liceat medelam luxati pedis equi, quam auspiciantur carmine sequenti:

K Jesus kirkkohon menepi,
Maria mesuhun matapi,
Hewoisella hiruwisella,

Kala hauwin karwaisella,
Pohen mustan muotoisella.
Ujoit sildoa kivistä (a);
Noussit wuorta forkiata:
Hiweldni hewoisen jalka (b).
Maria (c) maahan rattahilda,
Suonia sowittamahan,
Pahoja parantamahan.
Jost' on liha liipahunut,
Eihen liha liettyköhön.
Jost' on suonet sortunchet,
Eihen suonet solmickohön.

Ad templum JESUS pergit,
Ad missam MARIA vadit,
Equo utebantur alces colore
conspicuo,

Lucium (colore) referente,
Salmonis nigri (colore) simili.
Vehuntur super ponte saxeo;
Ascendunt montem excelsum:
Luxatus est pes equi.
MARIA de curru se projicit,
Ad tendines coaptandos,
Ad mala corrigenda.
(Dicens:) Unde caro secessit,
Illuc caro iterum adponatur.
Unde nervi sunt remoti,
Ibi nectantur rursus.

M 2

Et omni

(a) Alia exempla habent finistâ (cæruleo), & addunt: Maata maan karwallista, super terra hepatis colorem referente.

(b) Addunt huic versui alia exempla:

Kivisella kirkko tiellä,
Wahaisella wainiolla,

Lapidosa via ad templum ducente,
Saxoso in agro.

(c) Servatori ipsi alia exempla hæc omnia adscribunt; quæ omnino Virginis Mariæ nullam faciunt mentionem. Cæteras lectionis varietates afferre piget.

Thomstaxi ennellista, Ut fiant præstantiores quam
 antea,
 Doremari mutnassista. Meliores quam olim. (d).

Præmissa hac lectione, ligatur pes equi luxatus, ligamento composito scopis, quibus verritur furnus; quæ autem tales esse debent, quarum fabricator ignoretur. Atque sic in multis aliis.

VIII. *Adminicula vera & naturalia.* Interdum nempe superstitiosi homines, etiam qui pro magis haberi gestiunt, incidunt in adminicula vera & naturalia, quibus vel bona vel mala efficere valeant; (quæ tamen lectionibus suis & ritibus putidis consecrant); unde igitur effectus nasci potest naturalis. Quare in ejusmodi casibus

(d) Apertam cum hoc carmine cognationem habet Svecicum illud, licet Poëticæ artis laude longe inferius, quod in Diss. de Superstitiionibus hodiernis ex gentilismo residuis, (Ups. 1750, 4:0 Præf. JO. IHRE) adfert JON. MOMAN, P. I. p. 63. unde patet, ex eodem fonte, papisticis videlicet nugis, utrumque emanasse. Tale autem est: *Jesús ved på sin såla; Hans såla vred sig; Sätte led mot led, Sena mot sena, Blod mot blod, Lade la i la, Bot som åt år gjordt.* Similiter carmen contra Tineam, quod supra p. 71. attulimus, non obscure prædit cognationem cum hocce Svecico, quod l. c. p. 62. habet MOMAN, contra Paronychiam usurpato: *Wår Herre Christ och Sante Pehr Singo vågen fram; Så mdtte de qweson. Så frågar wår Herre: Swart skal du gå? Jag skal gå i en man (qwin) hand. Nej, swaras wår Herre: du skal gå i den skog där ingen bor, I den skid där ingen rör, Och under en jordfast sten, Och icke göra denna mannen (qwinnan) men.* Unde causa oritur suspicandi, Fennicum etiam illud carmen potius contra paronychiam esse compositum, quam contra Tineam; quamvis aliter visum ei fuerit, cujus opera illud ad nostras pervenit manus; nempe ambiguitate vocis *Koi* potuit falli, quæ quidem Tineam significat, sed qua etiam incolæ superiorum provinciarum utuntur ad paronychiam significandam, quam ex vermibus ejusdem ratione oriri putant: *Koi syð, vermis exedit*, de hujusmodi ulcere dicunt. In genere notandum, illa carmina, quæ natales papismo debent, atque a Svecis forte partim mutuata sunt, poëticæ laudis nomine semper inferio-

bus prudentiores id quod superstitiosum est, a naturah discernunt; vulgus autem omnia stolide miratur, & tam causam, quam effectum pro supernaturali habet, tamquam immediate a Deo vel diabolo profectum; magis attendens ad superstitiosas circumstantias adjunctas, quam adhibitas causas naturales. Sic, cum Ursum carminibus supra allatis, ex nemoribus suis exulatum mittere student magosphi nostri, simul arbores hic ibi adipe phocæ inungunt; cujus odorem non ferre ursum dicitur, sed ista loca vitare. Hoc modo rustici nostrates, etiam segetem in sylvis a voracitate Urforum illatam conservant, qui eam alias depascunt; videlicet sepimenta quædam agelli, vel culmos avenæ extimos quosdam, adipe phocæ hic ibi, circum totum agellum, obliniunt, quem hinc postea ajunt manere ab Urso intactum. Sic, cum vitæ sanitati-que alicujus inimici nocere cupiunt scelerati quidam, res venenatas adhibent. Cum pecoribus cladem inferre satagunt, vel ovibus in ovili aliquam partem corporis excoriant, quo spectaculo reliquæ terrentur & vehementer affliguntur, vel cadavera sub pavimento, aut in sterquilinio defodiunt, ut lues & noxa oriatur, &c. In usum medicum herbas & radices sibi comparant, ex quibus unguenta conficiunt; quas quidem superstitiose certo numero certisque noctibus colligunt, sed hoc virtuti illarum naturali nil derogat. Et sic in plurimis.

IX. *Societate diabolica* se valere, multi & alios credere volunt, & ipsi credunt. Dubium enim non est, quin fuerint, qui eo impietatis & stultitiæ procellerint, ut hosti Dei & generis humani infento, se devoverint; hoc pacto, ut ejus opem in cœptis suis infandis perpetuam acquirerent (e). Cujus impietatis in paganismo jam

M 3

semi-

ra esse antiquioribus illis & paganismo sapientibus; nisi ubi quidam versus hinc illinc, ex hisce illis intexti reperiantur.

(e) Cfr. Carmen supra, p. 49, allatum: *Ei minusa mieftâ tenet æ,*

femina exstitisse, a veritate non abhorret; nam malos quosdam esse genios & dæmones, majores credidisse, eorumque auxilium a quibusdam imploratum fuisse, supra docuimus. Sed hic furor, post Christianismum cognitum, si non crevit, certe non exstinctus fuit: illaque de mali dæmonis natura & moribus clarior cognitio, quæ ab ejus societate expetenda detertere vehementius debuisset, homines malefanos & semipaganos ad eam discutiendam etiam incendit. Detestati quidem sunt & detestantur inter ipsos quoque supersticiosos, tale scelus, faniores, ac abominantur eos qui malis geniis se committere audent, eorumque ope uti; sed dubium tamen non est, quin persuasio infelix de abominabili ope diaboli, hoc modo revera obtinenda, ac de potentia mirisque facinoribus, quibus peragendis pares magi hoc pacto evaderent, homines stultos atque impios ad detestabile hoc consilium ineundum impulerit. Tantum nempe sapientiæ seculis illis ignorantia homines non habuisse, mirum videri non debet, ut sine præjudiciis primum explorarent, an magi, tali potentia qualem crepabant, revera instructi essent? an prodigia iis tributa unquam patrare valerent? ut in rem facti, & mere historicam, prius ad leges fidei historicæ rite inquirerent, antequam ejus explicandæ causa tam portentosam hypothesin, tam periculosam, tam

Quin tales reperiuntur nebulones, qui ex. g. pro felici avium captura caput suum diabolo offerunt. Nam dum laqueos & tendiculas avibus struunt, ut felix sit laqueus, caput ei immittunt & mox extrahunt, dicentes: Lindu, minun pādni Vertelette, h. e. *Avis (audi) caput meum (devoveo) diabolo;* ad quæ tota mente exhorrescas. Qui miseri, aut præ stupore non satis intelligunt quid faciant, aut nescio quam tacitam spem sibi indulgent, fore tamen, ut a pacti conditione sese extricare, ac diabolum olim deludere queant. Quibus autem ritibus vel diabolum advocent, vel qua cum eo agere ratione, pactumque pange-re dicantur, neque referre operæ pretium ducimus, neque curatius explorare studuimus: cum tamen in meras fallacias & stulta ludibria omnia abeant.

tam perniciosam, amplecterentur. Quodnam enim tale factum apud nos unquam debito modo evictum fuit? Quis unquam vel verisimili ratione demonstravit, malum genium, a malefanis illis advocatum, accessisse, ac pactum revera cum iis fecisse? Nempe ne licere quidem sibi homines putabant, rationes expetere opinionis, quam inter veritates indubias, imo sacras, referebant: quæcunque igitur fabula, quodcunque hujus generis assertum, imo suspicio quævis injecta, mox homines, etiam cæterum cordatos, turbavit & occæcavit. Somnia anicularum, deliria, mendacia, metum, rumores, errores mentium præjudiciis & perturbationibus ægrarum ac delusarum, pro testimoniis & argumentis certissimis avide arripiebant; ac, quia S. Scriptura vel magos nominat, vel facta eorum, suo more, qualia apparebant, nulla eorum explicatione adjecta vel causis expositis, simpliciter describit, suam illa explicandi hypothesin persuasionemque ei primum intrudentes, mox tanquam S. Scripturæ doctrinam suspici ab aliis etiam omnibus voluerunt, in quam neque inquirendi, (multo minus de illa dubitandi) potestas ulla superesset. Quod malum hodieque nimis multos inter nos invenit fautores; cum nulla tamen certior sit ratio detestabilem superstitionem eradicandi, quam ut ipsa quibus nititur fulcra subducantur, totiusque artis vanitas, inanitas & stulta fraus, perspicue ac sincere demonstraretur (f).

§. XXIV.

Talis jam tantaque fuit superstitio præcorum nostrorum

(f) Cfr. Diss. Dn. Præsidis de *Poësi Fennica*, P. V. p. 91. sqq. Opinioni autem de Magia & Historiam & indolem accurare atque plene explicatam qui discere avet, adeat CONST. FRANC. DE CAUZ, de *causibus Magicis eorumque perpetuo ad Ecclesiam & Rem. habitu Libros II*, (Vindob. 1767, 4:0) a summo Theologo Ven. JO. AUG. ERNESTI magnopere laudatos & diligenter recensitos, in ejus *Neue Theologische Bibliothek*, IX Bände VI Stück, p. 529 -- 546.

rum majorum, tam theoretica, quam practica; ejus ruderata multa adhuc, prohi dolor! exstant, in quibus debellandis saniores omnes, maximeque Verbi Divini ministri, desudant. Heu quanta vanitas & dementia tamdiu mentes hominum cepit! Nam quid superstitio omnis est nisi vanitas vanitatum! Vana sunt idola, nec nisi nuda nomina & inanes umbræ; vanus itaque eorum cultus & veneratio. Ac licet existentiam & operationem maligni spiritus minime negemus; pater tamen mendacii ille est, & fallax spiritus. Pascit suos crepundiis, & ad extremum male mulctat. Nec tamen omnes superstitiosos homines pro ejus familiaribus & amicis venditamus. Sunt enim plerumque simplices, rudes, & fatui. Scientia eorum tantopere jactata, in eo potissimum consistit quod nil boni sciunt; commiseratione, correctione & institutione digniores sunt quam flammis & suppliciis, quibus in eos promiscue animadvertit pervertus majorum zelus. Si vero malitiam produunt, & vitæ, sanitati, bonisque aliorum nocent, cur non hoc nomine plectantur, ut alii malefici, causam nullam videmus. A superstitiosis autem omnibus ausis & coeptis, caveat sibi quisque, maxime qui Christo nomen dedit. Verbo Dei & naturæ ordini, ab iisque suppeditatis adminiculis & remediis, firmiter adherescamus. Deo soli confidamus, ejusque providentiæ nos nostraque committamus. Quando enim ab ejus viis & præceptis recedimus, in casses ignoti hostis & tentatoris imprudentes incidimus. Frivolas merito putamus divinationum varias species, carmina magica, incantationes, consilia sympathetica, & similes ineptias. Sed ut illicitas tamen damnat eas Deus in verbo suo, *Deut.* 18: 10, 11, 12. Deum enim sic antevertere præsumimus, & fata nostra ipsi dirigere, quod arrogans nimis est & impium. Cfr. III. MICHAELIS Mosaisches recht, V Th. §. 253 — 255.

S. D. G.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

In Parte Priori:

P. 17, l. 3, Euraâminne leg. *Eura* &c. l. 17 *rimula* (unde scaturigo emicat). Hanc significationem tribuit verbo JUSLENIUS *Lex. Fenn.* Fortassis tamen rectius hic vertitur: *e valle* (unde - - emicat), quo sensu verbum illud vulgo adhiberi, certum est. P. 19, not. l. 14. Wuolahettaren, leg. Wuolahettaran (Wuolahattaran). P. 24, l. 15 dicitur, adde: (ut Lappones dicunt *Ajia râtja* s. *jutsa*. s. *kleibma*, *Senex tonat*). l. 20 *longus*, adde: (sicut Estonibus fulmen *Pisne* audit). P. 35, l. 11 Paet leg. Paaet. P. 41, 6. *adolescens*, adde: In carmine de Lyrae inventione, supra jam, p. 36 commemorato, narratur, senem Wainâmöinen, postquam eximium suum navigium ab hominibus propelli non posse vidisset, deum hujus generis (etiam hunc frustra) ad remos admovisse; Pani lieto Lemmingäisen, sc. soutamahan, *Admovit* (ad remos tractandos) *deum-Lemmingäinen, terræ arenosæ præsidem* (l. incolam?). P. 45 l. 19 *Canis* leg. *Canes*. P. 48 not. (b), l. 13 MÖLLER leg. MOLLER. P. 49, l. 7 Hiisifa Leg. Hiisifä. l. 9 Joka, deleatur. l. 14, hartioilda leg. hartioista. P. 52, l. ult. adde: JUSLENIUS in *Lex. Fenn.* hoc vocabulum interpretatur *manes*, *dödas själar*, *jordspöken*. AGRICOLA autem, Carmine sæpe commemorato, viduis inprimis cultos docet; de Careliis canens: *Menningäiset mös heiden wffrens fait Koska lesset hoolit ja nait*, h. e. *Menningäiset etiam sacrificia eorum obtinuerunt, Cum vidua (& vidui) lugerent & nuptias facerent*. P. 53. In fine §:i addi debet: VII *Painaja*, *Sveth. Maran*, de qua natura malefica, eandem opinionem fovet vulgus Fennicum, quam septentrionales populi reliqui; Cfr. ill. SUHM om *Odin*, III B. 2 Cap. §. 33, p. 288. Forte tamen a Svecis etiam hanc persuasionem nostrates acceperunt. P. 55 l. 12, *obtulisse* adde: (a); quæ nota hic excidit, talis sententiæ: "(a) AGRICOLA, Carmine sæpe

sepe citato: *Coosuden hautiin rooca wietin, Joissa waalitin, pargutin ja idketin, h. e. Mortuorum sepulcris cibum intulerunt, In quibus querebantur, lamentabantur & plorabant. Cujus moris reliquiis forte debetur ritus Fennoꝝ Græcæ religioni addictoꝝ, qui adhuc præficarum opera & naniis (isturunot) in funeribus celebrandis utuntur.**

In Parte Posteriori:

P. 56, l. 8 *ratio*, adde: nos. P. 57, l. 3. leg. *Mieftä*. P. 58 l. 27 *Quæ* leg. *Quas*. P. 60 l. 18 *coctum* leg. *cocta*. P. 62 not. (b) l. penult. *potuerit*, leg. *poterit*. P. 65 l. 14, part. IV, adde: *et V*. P. 68 l. 9, *exterior*, leg. *exteriori*, l. 23, *necessariis*, adde: Cfr. de hacce *nonwouawalea* MOMAN l. c. p. 55 sq. & WIERUS de *Præst. Danon*. L. II, C. XII, l. 30 *fore* leg. *foret*. P. 69, l. 3 *imperio* leg. *impio*. P. 70, l. 18 *Legis*, adde *vel judicii*. P. 71, l. 11, *foinsanat* leg. *Roin Sanat*. P. 72, l. 13 *dominus* leg. *Domine*. l. 28, *äunmä*, (*vetula*). In hoc vocabulo vitium inesse, facile existimare licet; pro quo autem alio irrepserit, præ exemplarium penuria, hoc carmen exhibentium, indicare nondum valemus. P. 73, l. 6, *exprimis*, adde: *impello* P. 74, l. 13, *intulit*, leg. *intulisset*. P. 76 l. 26 *tomitribus* leg. *tomitribus*. P. 77, l. 28 *loco* leg. *locos*. l. 39 *aliis* leg. *illis*. P. 81 l. 17 *prima*, adde: Quare nec mirum, ejus potentiae beneficae adscripsisse quod Lunæ & Soli laborantibus (eclipsis tempore, cfr. supra p. 52) succurreret. Ita nempe eam invocant non uno carmine: *Sind kum kuum kehástä pädástit, Pädástit päiwán terallehen, Mipektás minuo pädástä? &c.* h. e. *Tu qui lunam liberasti ex halonis potestate, Qui solem in libertatem vindicasti, Cur non me liberas (a malo)?* P. 82, l. 18 *levationi* leg. *lavationi*. P. 83, l. 8 *sategebant* leg. *sategebant*. P. 84, l. 18 *hæc* leg. *hæc*. P. 8, l. 19 *est* leg. *sunt*. l. 23 leg. *exprobratio*. P. 86, l. 14 *cæspitam* leg. *cæspitem*. Reliqua, per operarum festinationem, ut horum quoq; maxima pars, enata, speramus B. L. facile excusaturum.